



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

IV. An Sacramenta conferant gratiam ex Opere operato?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Vnde Eph. 5. dicitur, *Mundans eam lauacro aqua in Verbo vitæ*, non Concionatorio; Sed illo, *Ego te baptizo in &c.* Itaverè S. Patres id exposuere.

Neque item in Synaxi fieri oportere concionem docui, *Mat. 26.* aut Apostolus, *1. Cor. 11.* Factà Cœnâ sermonem habui; sed eum non Eucharisticum. Par cæterorum est ratio Sacramentorum, quoad formam conceptam, minimeque concionalem.

3. Denique *Baptizantes in nomine Patris. &c.* baptizare est, non prædicare: Quo iussu ad baptismum **IN VOCARI** Deum formula sub concepta verborum: non prædicari prius, nisi ad adultos catechumenos, hos *docete* prius vt capaces, non solum de Trinitate, sed etiam de Incarnatione, Passione. &c. oratione, vitæque Christiana.

QVÆSTIO III.

Quis esse Minister Sacramentorum debeat?

III. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERVS *lib. de Missa priu* Minister Verbi & Sacramentor esse vel diabolus potest, Eoque magis quilibet Christianus baptizatus vir seu femina. Vide in *Luthero. cal. p. 39.*

CHRISTVS. Ego non Angelis dixi, nec quibusuis Christianis; sed Apostolis, *Matth. 28.* *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine. &c.* *Luc. 22.* *Hoc Facite in meam commemorationem.* *Ioan. 20.* *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.*

2. Et de me Apostolus, *Eph. 4.* *Christus ascensus dedit dona hominibus.* Nam unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. &c. Dedit quosdam quidam Apostolos, alios. &c. Et Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur:* Non igitur Angelus bonus, seu malus.

IV. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERVS. Quis baptizatus sit sacerdos in baptismo, potestque sacra omnia ministrare. Sed non expedit vsus potestatis, ob confusionem, sine Vocatione

CHRISTVS. Apostoli mei baptizarunt ante passionem meam, *Ioan. 13. cap. 4. teste:* & Ecclesie non sit credibile quod baptizarint non baptizati. Potestatem quoque consecrandi primum acceperunt in Cœna, cum dixit: *Hoc facite:* Absoluendi, *Ioan. 20.* *Quorum remiseritis. &c.* Nō igitur in baptismo acceperunt: alioquin bis accepissent.

2. Quo rectius dixit Apostolus meus, *Ephes. 4.* *Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes prophete? &c.*

Item Hebr. 5. *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron:* idque ad honoris Potestatem, & Vsum.

3. Quin de me vere idem ibidem. *Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret.*

QVÆSTIO IV.

An Sacramenta conferant gratiam ex opere operato?

V. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERO-CALVINISTAE pernegant Sacra.

cramenta quicquam conferre gratiæ; sed solum significando excitare fidem, quæ iustificat: sicut verbum prædicatum.

CHRISTVS. I. Præcurfor meus & Baptista prædicabat & baptizabat; non tamen iustificabat: vnde aiebat, Mat. 3. *Ego baptizo vos aqua: Ille vos baptizabit Spiritu Sancto.* Discrimen afferebat ingens efficacia, quanta spiritum inter & aqua est. Alioquin par vtrique vis inerat significandi, adque fidem excitandi. At ob disparem efficaciam. Paulus, Act. 19. iussit baptizari baptismo Christi eos, qui Ioannis baptismo fuerant baptizati.

2. Mar. vlt. *Qui crederit & baptizatus fuerit, hic saluus erit.* Hic baptismo vim saluandi tribuit nõ fidei soli. Hæc enim cũ præcedat baptismum, iam hominẽ iustificasset ante, quam aqua tingere- tur: at effectus sequitur causam, nõ præcedit.

3. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. S. non potest introire in regnum Dei.* Nil hic dixi de concione, nil de fide excitata; solum de vi baptismi. Quod si fides sola iustificaret, quid opus Baptismo? Sicut dixi, Mat. 3. *Ille vos baptizabit in Sp. Sancto & igni.* sc. externo, indice Spiritus interni: ita isthic *in aqua*, indice Spiritus interni ac gratiæ: Sicut acceptum panem dixi, *Hoc est corpus meum*, visibilis species index erat inuisibilis gratiæ & mysterij præsentis.

4. Neque Discipuli mei secus, quam ipse dicere, docereque potuerunt. Vnde Petrus, Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum, in Remissionem peccatorum.* Act. 22. *Quid moraris? baptizare, & ablue peccata tua, inuocato Nomine*

ipsius. Iam illi crediderant, & tamen vis baptismi necessaria restabat: Non vt testimonium aut sigillum factæ gratiæ, sed vt instrumentum faciendę remissionis, id est, iustificationis.

5. Vidit Simon, Act. 8. *quia per Impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus*, sc. Confirmationis & Ordinationis. Sic admonuit, 2. Tim. 2. *vt resuscites gratiam, quæ est in t: per Impositionem manuum.* Hæc apertissima sacramenta causam esse gratiæ testantur.

6. De Eucharistia: 1. Cor. 10. *Vnum Corpus multi sumus;* Quantus hic effectus & gratia quanta? Eccuius causæ? *Qui de vno Pane participamus.* Eucharistia hæc vis est. Sicut illa baptismi: 1. Cor. 12. *Omnes nos in vno spiritu, in vnum Corpus baptizati sumus.* Per Baptismum hæc vis spiritus est Vereigitur, Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* &c.

7. Huc spectarunt Prophetiæ ac Figuræ.

QVÆSTIO V.

An Sacramenta Veteris Legis iustificarint, vti Nouæ?

VI. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERVS affirmat de habentibus annexam promissionem remissionis peccatorum: negat de nõ habentibus eam.

CALVINVS: Ait, *Vberior sub Christi regno percipitur gratia.* Is vult pariter; hic, minus iustificasse: rejicit que illius distinctionem. KEMNERTIVS accipit minoritatem à Caluino, & Distinctionem à Luthero.

CHRISTVS. Ego verò inquam, Ioan. 6. *Patres vestri manducauerunt Manna in deserto: & mortui sunt: Qui manducat hunc panem, viuet in aeternum.* His & non illis esca saluti fuit; Tantum inter vtraque